



Nicolaus natus est in Neüuuenküening anno 1484. Hic literarum studia secutus Iurisprudētia operam dedit, atq; in eadem facultate sua diligentia Doctoralia insignia meruit. Fuit etiam multis heroicis uirtutibus atq; singulari prudētia conspicuus. Itaq; multorum principum ac regum consiliarius effectus, res sibi commissas magna dexterritate perfecit. In primis uerò eius pietas & industria anno 1525 emicuit, cum rustici in Salisburgensi archiepiscopatu ferocius tumultuarent. hos enim sua facundia & autoritate sedauit, & suo principi reconciliauit. Itaq; in tota ea regione magnum sibi nomē comparauit. Cum hoc modo optimè uixisset,

tandem 8 die Februarij anno 1547, ætatis uerò suæ 63, eoq; climacterico obijt, & Salisburgi iuxta fores cathedralis templi honorificè sepultus fuit, cum hac inscriptione, quam ipse in erecto marmore anno 1565 legi, & huc apponere uolui.